ALBERICI GENTILIS.

Legalium Comitiorum Oxonienſium.

ACTIO.

FRANCISCO BEVANNO
Doctura dignitatem
ſuſcipiente.

Comes
547.

LONDINI
Excudebat Iohannes Wolfius.
1585.

Docta viris (aiunt) debentur munera doctis.
ACTIO *si docta hæc: doctus at est Loydus.*

Iussu Auctoris.

Griffinio Loydo I.C. Regio professori Oxoniensi Alb. Gentilis S.P.D.

LIbros meos, qui hactenus editi sunt, ijs (optime Floyde) inscripsi, quorum promereri gratiam genere hoc munerandi excellentissimo desiderauí. Hunc tibi dono, do, dico: cuius & gratissimam beneuolentiam duxi, & amicitiam sanctissimam expertus sum. Ab eo etenim die primùm, quo Oxoniam veni, quid tu in me studij prætermisisti? Scriberem (crede mihi) non vnam pagellam, si recenserem. Sed fida mihi tanti depositi custos reminentia refert. Tu, quòd ita virum virtuosum decet, & oblitus forsitan bene abs te factorum es, & certè non desideras commemorationem. Alijs nũc potiùs significare volo: ac testimonio hoc vtor, quo me Floydo supra reliquos, qui modò sunt Oxonienses, & debere præcipuè, & animum gestare gratissimum, uideant, credantque omnes. Nam quorsum id tibi muneris deferrem, si Academiæ vniuersæ, si singulis gratias habeo immortales, nisi vinceres tu omnes merito? Fateor, & libenter fateor, prædicoque, nullum Oxoniæ doctum hominem, probum piumque esse, quem nominare amicissimum mihi non possim. Cedò n. Doctorem, quem eo nomine non appellem? Cedò Magistrum? Et ad Baccalaureos si venio, (hoc est, quod tantopere in me laudare soletis, vt cum omnium hominum ordine & dignè potuerim, aptéque versari) si ad Scholares descendero: an istam ibi beneuolentiam non inuenio? Cur ergo summi, medij, infimi, omnes, nescio quam, meam doctrinam, meos mores, meam probitatem tantopere celebrare solent? Profectò quia amicissimi (nam in me tantam virtutum excellentiam non agnosco) mihi sunt omnes, præco-

conio isto mearum laudum delectantur. Vt tamen ita sit debere me interim Floydo plurimum, verum est: & libet, decetque omnibus attestari. Vtinam verò sic possem per ingenij vires longè, latéque testimonium istud diffundere, ac in ætates futuras producere, vt magis atque magis lætarer, & in opera egregiè, optiméque posita acquiescerem. Ceterùm & ego me mea conscientia solor, quòd in gratiam nominis tui facio id ipsum, quod valeo: & tu pro insigni, & nobilissimo quoquo facto egregiam istam voluntatem amplecti debes. Vides autem, quid hocce muneris siet? Rationem eius simul operæ reddo, quam proximis comitijs tibi fiduciariam, Doctoratus dignitatem in tuum, immo meum Franciscum Beuannum conferendo, gessi. Qua etiam occasione libellus iste tibi præcipuè debebatur. quoniam quid quid est, id tua auctoritate, tuo nomine, tibi est gestum; vt sit meritò tuum. Quid verò si summæ hæ sunt causæ tuæ propriæ, alias quoque communes dicam, cur ad te mittere me nouum hunc fœtum deceret? Et sciunt omnes, generis nobilitate, munerum dignitate, doctrinę excellentia virum te generosissimum, spectabilem, præstantissimum esse, & reliquis virtutibus omnibus sic ornatũ, vt carissimus omnibus habearis. Quare stylus meus illic opus non fuerit: sed id tantum debuit explicare, quod ceteris fortè incognitum, actum inter te & me, vel a te in me potiùs est. Suscipe igitur (mi Floyde) librum animi mei tibi verè maximéque deuincti pignus, & testimonium, quo id alij quoque audiant ipsum: ac, quandoquidem ille est tuus magis, quàm meus, exosculare etiam, & Vale. Oxon. X. Kal. Febru. M.D.LXXXV.

Alberici Gentilis.

Legalium Comitiorum Oxoniensium.

ACTIO.

De quibusdam inexplicabilibus. Tractatus.

PRIN nouo isto frequentissimo concursu, & solenni ista actione nouum aliquod, solenneque vobis proponere, rationis est. Ac sanè dum cogito, quid ipsum hoc erit, animus in argumentum subtilitate plenum statim descendit; deliberátque de inexplicabilibus quibusdam, perplexis, frustratorijs, siue hæc alio dicuntur nomine, quædam exponere. Digna auribus vestris, ingeniisque tractatio videbitur, qui non in sedibus tantùm subtilissimorum hominum successistis, sed eorum quoq; studia æmulamini, & superare contenditis. Et mihi profectò commodissimè contigit, vt in tali corona de hisce ambiguitatibus quærere possem, vnde insignem, notabilémque aliquam rationem sperare queam, opitulantem vel meæ, vel Ciuilis iuris nostri inopiæ, & infirmitati. Nec.n. sic argumentum tractabo, vt vestram operam non in maiore illius parte exegisse videar. Et verè horrida vos ista nomina deterrere non debent; nec Scoti, & aliorum.

illud etiam, quod summa sub eis ingenia defeciſſe videantur: quo minus, & cum ſpe profectus, ipſi quoque periculum rerum faciatis. Latent.n. ſub iucundo vocabulo res aſperrimæ. quid aſperius bello? quod nomen ſuauius? Et dura verba rem iucundiſſimam habent. malo, en, nihil tetrius: & malis tamen ſecundas menſas nunquam carere volumus, maláque in bellarijs habemus. Sed & hæc ipſa, quæ definiri, ſoluique non poſſe, maximi illi viri adſeuerarunt, definita, & ſoluta ab alijs ſunt, & a nobis aliquid (vt ſpero) lucis accipiet. Agite, hinc dicere ordiamur. Ariſtoteles, ſummum litteratorum faſtigium, inſolubilem, quem nunc narro, teſtatus eſt nodum. Ex tribus iudicibus vnus decem, alius quinq;, tertius quatuor condemnarunt. Inquit philoſophus: Quis erit modus ſententiarum dilegendarum, ac diſcernendarum? Inquit, iudicationem turbulentam eſſe, atque confuſam. At noſtri Iuriſconſulti litem diſſoluerunt, aiúntque, quod ſi diuerſis ſummis cõdemnent iudices, minima ſpectari debeat: in quã omnes conſenſerunt. Rurſus, ſi de nocente multando tractatum ſit, & duo iudices reum inſſerint exulare, duo pecuniam ſoluere, tres capite plectendum cenſuerint, ſcribit Gellius, ſiue (vt nunc volunt) Agellius, inexplicabilem controuerſiam eſſe. At alij, at nos aliter opinati ſumus, qui etiam de ea non breuiſſimam diſputationem vulgauimus. Non ſunt igitur nodi Gordij, quos ceteri ſic appellarunt. Et quamquam videri poſſit

lib. 2. Politic.

l. 27. de rec. ar.
l. 38. de reiud.

lib. 9. c. 15.

gladius

gladius immo ad eas difficultates Alexandri admotus: verè tamen res se aliter habet. Sed sint etiam vsurpatæ rationes non prorsùs aptæ, certeque: quæ nec a Iurisconsultis desiderantur; sicut neq; mathematicos cõtra suasionibus vtentes ferimus: istiusmodi nos fore contentos in reliquis id generis quæstionibus (agite, afferte) testamur. Satis habemus si inopia non conficimur, & non desunt penitus argumenta, quibus, statui aliquid & hîc posse, probabiliter disseramus. Quid ergo in tertia hac quæstione? Vxori centum dotis debeo, & cẽtum alijs creditoribus. Fundum, quem vnũ in bonis habeo, mox etiam consentiente vxore, & hypothecæ renunciante vendo. Creditores ab emptore euincent: prius.n. & potius eorum ius. A creditoribus vindicabit vxor, quæ creditores antecedit. Et cũ ab vxore reciperare valeat emptor: ille idem circulus peragetur, & penes quem tandẽ fundus consistat, non erit. Res (inquit Accursius) est in circulo, & insolubilis. Pisti illi circumuolutionẽ hoc argumentum Alciatus ait: quòd eòdem revoluatur semper. Ego audaculus fortasse sum. sed credo quæstionẽ explicari in hunc modũ, nec difficilè posse. Aut consensit alienationi mulier, & hypothecæ, iuri suo, absolutè renũciauit: aut in emptoris solius gratiã id fecit. Primo casu probandum mihi videtur, vt secundùm creditores ius dici aduersus mulierem debeat. maritũ.n. & rem ipsam liberauit vxor. secundo casu & inclinãt interpretes, & ego in vxoris causã libens inclino. Illi tamẽ

Aristot. lib. 1. Eth.

lib. 1. Parerg. C. 19.

singularia quædam comminiscuntur. ego generali argumento id iuris esse contenderem, quia mulier emptori cauisse tantùm videtur, ne agere contra eum valeret, & fundum ab ipso vindicaret. at istud remissum, ne etiam retinere posset ab alijs recuperatum, verisimile non est, nam & non est verisimiliter de casu isto cogitatum: itaque nec trahatur ad ipsum renunciatio. Praterea si propter venditionem tantùm facta proponitur renunciatio: certè & emptor dedisse videbitur, vt possit de prædio mulier cum alijs quibusque agere. id porrò nihil esset, si ad emptoris solum commodum ageret. Atque ita mihi videtur. Cedò iam quæstionem quartam. inquit lex municipij, vt fratres patrueles a successione filij matrem excludant. Supersunt patrueles, mater, &, de qua nihil lege cautum est, amita. Patrueles ab amita vincuntur sed istam superat mater, quæ silicet iure municipali propter amitam non excluditur, at mater eo iure a patruelibus vincitur. Itaque & hîc pistillum circumuoluimus. Baldus, qui ex facto id tractatum scribit, pro amita quidem dixisse se contestatur: attamen pro patruelibus disputat: & pro matre etiam leges producit. Ergo neque hæc est huiusmodi quæstio, quæ nullum in partem aliquam argumentum subministret. Nos pro matre forsitan non imprudenter notaremus receptam regulam, vt iuri communi res relinquatur, si ea accidit, quam municipum decreta non teneant. Amitæ profectò hæreditatem non darem: quoniam si agnationi prospectum

In l. si quis. C. ad Terty.

ſpectum hoc ſtatuto (quod cogitat & Baldus) licet exiſtimare; amitæ vtique credemus rationem non habitam, quoniam etſi adgnata ſit, in ipſa tamen finis eſt adgnationis: & hæc iura municipiorum (quod & lex Voconia Romæ fecit) perpetuandis familiarum commodis aptantur. vnde filiæ etiam per ipſa a parentum hæreditatibus arcentur. Verùm alteri controuerſiæ attendite, quæ certo iure definita eſt: ſi ex ipſa poteſt & hæc Baldi iuxta ſuam ſententiam determinari. Filius moritur patre ſuperſtite in familia aliena adoptato, matre ſuperſtite, & adgnatis, ipſis his, puta, patruelibus. Ad quem pertinet ſucceſſio? Anteſtant patri patrueles adgnati, hos mater præcedit, & ab iſta ſucceſſione repellit. itaque repulſis adgnatis veniet & pater ad hereditatem. cui cum ſe patrueles iterum opponant; ſoli ſit locus matri: hæc autem per ſe patrem admittere cogitur. & ita circulus perpetuus ſit, dum excluditur, & includitur ſubinde pater. Ceterùm præſens quæſtio (vt dixi) determinata eſt. Admittimus (inquit I.C.) matrem: quoniam patrem adgnatus excluſit. Ita ergo & in caſu ſuperiori amitam admittamus, quoniam adgnati matrem excluſerint. Quid vos? Vobis præſentem definitionem relinquo. ego interim cum argumentis meis manebo. Eſt verò in eodem loco alius circulus: ſed & ipſe præciſus. Auus nepotem manumiſit, qui patre, ipſo auo, matrèque ſuperuiuentibus deceſſit. Quis potior? Si mater auum excludit; iam pater L. 2. §12. D. ad Tert. l. 5.

inducitur: ideóque annus rursum vocabitur. Tradit Paulus, annos ius suum esse seruandum. Est alius, paritérque finitus in l. 13. D. de damn. inf. Qui de damno infecto non cauet, possessionem rei, domus puta, tradit ei, cui non cauetur. Id Titius Sempronio facit. ast Sempronius Titio mox idem petenti non præstat. Retradendáne Titio domus? Et si idem ab isto rursus Sempronius petat, nec accipiat, num ædes rursus auocabit? Qui finis? Verùm Iulianus docuit, Titium a Sempronio id improbè petere, & primo tempore posse repelli, cum ideo possessionem amiserit, quia ipse damni infecti satis non dederit: nec debeat ab altero desiderare, quod recusauit ipse. Vnum adhuc dico perplexum casum, & finem istis narrationibus facio. iam iam .n. venientem designatũ Doctorem videre videor, cui inseruiendum est. Qui ergo quadringenta habebat, trecenta legauit, deinde fundum tibi dignum centum aureis sub hac condicione legauit, si legi Falcidiæ in testamento suo locus non esset. Quæritur, quid iuris. Dixi (inquit Africanus) inconsistentium hanc quæstionem esse, qui tractatus apud Dialecticos Pseudomeni dicitur. Etenim quidquid constituerimus verum esse, falsum reperietur. Namque si legatum tibi datum valere dicamus, legi Falcidiæ locus erit: ideoque deficiente condicione non debebitur. rursus si quia condicio deficiat, legatum valiturum non sit: legi Falcidiæ locus non erit. Porrò si legi locus non sit, existente condicione legatum tibi debetur.

l. 88. D. ad leg. Fal.

betur. Ita verò definit. Quum voluntatem testatoris eam fuisse appareat, vt propter tuum legatum ceterorum legata minui nollet: magis est, vt statuere debeamus, tui legati condicionem defeciſſe. Sed en, quod præuideram, adest designatus meus, qui nostram ad se rapiet orationem.

Orationem, qua vt bonum, fauſtum, fœlixque factum designato Doctori procederet, precati a Deo ſumus, & vt hic dotes omnes ſummi I. C. eidem dilargiretur, omiſimus: quia vt in dicendi neceſsitate probari rhetoricantes potuimus, ita ineptiſſimi eſſemus, ſi hæc, quæ tractare neſcimus, typis etiam committeremus. Confecta præcatione, ad inſtitutum argumentum redijmus.

VIdetis ergo, quæ explicatu impoſſibilia viſa ſũt, ea explicari haud debilibus rationibus poſſe. Et ſi ſupradicta ſolutionẽ admittũt, quæ perplexa maximè ſunt: quid alijs fiet, quæ tantam difficultatem non habent, & ipſa tamen inexplicabilia dicuntur? Tenetis quod de Protagora & diſcipulo ipſius narrat Agellius? Pepigit diſcipulus, vt reliquũ mercedis daret quo primo die cauſſam viciſſet. Sed foro poſtea benè aptus cauſſas non recipiebat, & Protagoram fruſtrabatur. ductus igitur in iudicium, quum præceptor: Profectò dabis quod peto, nam ſi contra te lis dicitur, mercedem ex ſententia ſolues victus. Sin verò ſecundùm te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Cui con-

lib. 5. c. 10.

tra Euathlus: Minimè illud fiet, præceptor. quoniam si iudices pro cauſſa mea ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero. Sin contra me pronuntiauerint, nihil tibi ex pacto debeo, quia ego non vicero. Iudices (inquit Gellius) dubioſum, inexplicabiléque hoc cenſuerunt, & rem iniudicatam reliquerunt, cauſſam in diem longiſſimam differentes. O iudices eruditos. Ecquis pactum ita interpretari non didicit, vt captio abſit? Ecquis mortalium neſcit, pro facto illud haberi, quod per eum ſtat, quominus fiat, qui facere debet, ſi iſta lex foret iſti incommoda? Noſtrûm quis ignorat, tempus, ſi definitum alicui rei agendæ a diſponentibus non ſit, ſtatui à iudice poſſe? Num aliæ deſunt rationes, quibus potuit diſcipulus cogi ad mercedem ſoluendam? Sed erant iudices Gelliani (opinor) ambagibus Dialecticorum non iuri dicendo attenti. Dialectica (inquit Baldus noſter) apud legiſtas, qui conſiderant realitatem, ambages eſt. Num plura id generis leuiora enarrem? At elapſam nobis horam bidellus ſignificat, & illi certiſſimum horologium venter.

In l. 1. C. ſi pluvm. ſent.

Reſiduum, quod ſequitur, a prandio pronunciatum eſt ex more, vt idem tractatus bis interruptus producatur vſque in punctum diſputationum.

NVnc, quæ reſtat propoſitæ tractationis, abſoluamus. An vobis relatæ perplexorum definitiones rectæ videntur? An alias rationes excogitatis rebus tam anxijs? Dixerint alij

in

in ea, quam de iudicibus referebamus, & hanc viam esse componendarum sententiarum, vt ex omnibus summis vna conflaretur, cuius dein pars tertia exciperetur, quæ reo soluenda sit. Verbi gratia: Vnus ducenta, alius centum & quinquaginta, tertius ducenta & quinquaginta censuit, quæ omnia sunt sexcenta. Secundùm istorum opinionem ducenta deberentur: nam hæc tertia pars est totius conflatæ summæ. Ita scripsit Salycetus. & ita alijs probatum videtur: referente in Memoralibus Cotta. Quid tamen hos mouit, ne minorem tenuerint summam ex sententia Consultorum? An est inter adsumptos hos arbitros, qui de rei prætio iudicare vocati sunt, de quibúsq; illi loquuntur interpretes, & indices differentia? Videtur. Quid ergo? Pro altero remedio num quis sorti rem cõmittendam existimat? Fortè nec ipse abnueret Aristoteles, qui perspicuè, immo id scribit libro sexto Politicorum. Tamen hæc non est solutio. Et illa minus, vt iudices isti dissidentes eo concluderentur, vbi nisi panis esset, & aquæ copia, detinerenturq; donec cõsentirent. quod in praxi aduersus illos arbitros vsurpatum, Signorolus recenset: & Anglicum ius esse dicunt, vt escis omnibus destituti duodecim illi viri concludantur, qui in id adsumuntur, vt facti dirimãt quæstiones, & clusi eo modo habeantur, donec consentiant. In nostris itaq; solutionibus manemus. Vos & ad hanc primam quæstionem, & reliquas sequentes, & ad alias omnes meliora cogitata depromite, me meus candidatus vocat, Monuit

In vers. Extimatores.

Monuit moderator, vt disputaretur: & quæstiónibus doctori designato a nobis propositis, iste post orationem habitam in laudem Iuris ciuilis perpetua disputatione adsertiones, quas in quæstionibus sequi placuit, confirmauit. tum nos contra singulas diximus donec per moderatorem degere in vnaquaque licuit. Quæ. iones, & reliqua cognoscuntur ex subiectis disceptationibus.

Q. I.

ET voluisti omnino istas mecum contendere adsertiones? Et quæ de vtraque scripsi minimè te ab incœpto deterrent? Et hinc colligis quid in tertia, quæ noua est, possim? Verùm alijs te, veteribus omissis, argumentis vrgebo. Efficiam, sentire te, quæ mutæ nequeunt penitus sonare litteræ. Ais, iudicem iudicare secundùm acta debere, vel si sciat ipse certissimè contrariam actis existere veritatem. O impiam definitionem. Rogatus Thucidides quidam Milesius Periclis æmulus ab Archidamo Lacædemoniorum rege, vter alteri palæstra, Periclésne an ipse præstaret: Vbi ego, respondit, hominem pugnando deieci, ipse se non cecidisse defendens vicit, intuentes de sententia deiecit. Ita tu, auctorèsque tui actorum patroni, debere iudicem secundùm firmiorem horum probationem litem dicere deiectum e conscientia sua, probè contenditis. Miror & illud exemplum non prolatum a vobis. Itáne verò? Conscientiam, quam a Dijs immortalibus

Plut. in Pericl.

(vt

(vt inquit Cicero) accepimus. quæque à nobis di- In orat. pro
uelli non potest, deseremus? Nemo (inquit Poly- Cluen.
bius) neque testis adeo timendus, neque accusator
adeo grauis, vt singulorum mentibus inhabitans
conscientia. Attánetantum etiam possent, quan-
tum Periclis valuit eloquentia? Scilicet & acta
fundunt coruscationes, cient tonitrua, horrenda
iaciunt fulmina, aut Suadam habent in se deam:
quæ omnia de Periclea oratione narrantur: atq;
ad illam illa improba refertur sententia. Sed vide
tu, quàm & mihi ad istam controuersiam spiri-
tus creuerint. Satis olim habuissem euincere, ne
contra conscientiam iudicaretur. nunc & hoc vo-
lo, & illud, vt pro conscientia contra acta iudice-
tur. Si animus idem staret, vrgerem eam ratio-
nem maximè, quam vltimo loco in priori dispu-
tatione scripsi. Dicerem, ambiguas, atque legum
diuersis interpretationibus, titubantes causas be- l. 5. C. de bon.
quę lib.
nignè, atque naturalis iuris moderamine tempe-
randum: &, vt ait Paulus in l. 7. D. vt leg. nom.
can. per mediocritatem dirimendum, & medie- l. antiqui. D. si
tatem sequendum. quod alibi ex prudentissimis pa. he. pe.
auctoribus notat. Quibus sententiæ concinunt a-
liæ multæ. Et elegãter in l. Saluius. D. de leg. præst.
id demum temperari docetur, quod media ista est
positum via. Quid præterea? Exempla summo-
rum virorum proponerem, qui hanc rationem in
proposito secuti sunt. Meminit præfecti cuiusdam
Ammianus, qui æquo animo sibi abrogari pote- lib. 21.
statem rogauit, quum ei coram innocentem quen-

dam

dam torquere, Constantius Imperator præcepisset? Credis, torsisset hic innocentem, si præcepissent acta? Verùm propero ad id, quod volo. Prius autem statuo, iudicare iudicem oportere. idque per l. properandum. in prin. & §. sin autem. C. de iudi. & l. de quare. D. eo. tit. Et quod caussa cognita dicitur, quæ acta est. l. pe. §. vlt. D. de vacat. mun. Argumentum, quo Accursiana commenta concidunt, & quæ forsitan istam meam non ferunt adsertionem, hoc est. Iudex cogitur super caussa cognita iudicare. Sed hæc est caussa cognita. Ergo super hac iudicare debet. Iam verò quin iudicare dicatur solus, qui sententiam dicit, nec est incognitum, nec non declarant leges, quas recitauimus. Qui ait, sibi de causa non liquere, hic non iudicat. l. 13. §. vlt. de rec. arb. & l. 36. de re iud. Nihil igitur restat, nisi, vt vel condemnet, aut absoluat iudex. l. 1. eo. Alterum volo. Affirmo, iudicem posse pro conscientia iudicare. Nam iudicibus omnibus, exceptis defensoribus ciuitatum, licet, non iudicare secundùm iura, & leges, & sine legum obseruatione. l. rem non nouam. vbi gl. in prin. & auth. hodie. C. de iud. Dato igitur, ius esse, & ex legum obseruatione, vt secundùm acta iudicetur: licet iam & non secundùm acta iudicare. Ego non existimo, datam iudicibus potestatem, qua possint contra legum definitiones pronunciare. repugnant. n. quamplurima, maximèque l. 1. D. qua. ap. non sit. Sed de istiusmodi obseruationibus, quæ iuris rigorem tuentur, dictum ab imperatore

in illis legibus, reor. Quamquam quid argumentor? Vbi, obsecro, illud expressum, vt iudex iudicet secundùm acta? At illud diserte, pluriesque cautum, vt ex sententia iudicet animi sui. Iam ingredior ipsam propositã quæstionem. Nullibi dicitur, vt iudicetur secundùm acta. Ergo secundùm acta non est iudicandum. At iudicare oportet. Ergo secundùm conscientiam iudicandum. Sed volo adhuc tibi significare, Aristotelem ipsum dare hoc quoque viris prudentibus, vt non secundùm litteras & leges, sed secundùm propriam mentem, & secundùm quod sibi videbitur, iudicent. Itáque mittas licet rumores illos interpretum, qui monstra ex licentia ista confingunt, & audias ipsis legibus, Aristotelique. Nunc explico argumenta. Princeps potest ex conscientia iudicare. vt omnes volunt. Ergo & iudex. Nam si qui per alium facit, is dicitur per se facere. vtique & factum nostrum dicitur, quod per alium effecimus. Nec verò dubitatur, principes per iudices iudicare. Rursus. Ius dicentis officium latissimum est. l. 1. de iurisd. Latissimum est id, quo nihil latius. l. vbi autem. de ver. oblig. Ergo si princeps potest: & ius dicens potest: aut huius officium non est latissimum. Tandem. Iudex ex conscientia potest in extraordinarijs iudicijs iudicare. arg. l. hæc autem. §. 1. ex qui. ca. in poss. ea. Sed hodie omnia iudicia sunt etiã extraordinaria. Inst. de succ. subl. in prin. Et §. vlt. de interd. Ergo in omnibus iudicijs &c. Si itaque iudicare iudex

lib. 2. Polit.

l. vlt. C. de legi.

debet : & secundùm conscientiam iudicare potest : quid eum morabitur, quominus & secundùm conscientiam iudicare debeat ? Audi argumenta certiora. Iudex est vir bonus, & innocens. l. cõtinuus. §. 2. de ver. oblig. l. cetera. §. 1. fam. erc. Vir bonus iudicabit secundùm arbitrium boni viri. nam quî aliter ? Arbitrium boni viri est conscientia. Bal. in l. vlt. C. de iu. do. imp. Ergo index secundùm conscientiam iudicabit. Non credis boni viri arbitrium, innocentisque conscientiam esse ? Sed quod nam aliud excogitari potest ? Vt iudicet secundùm acta ? Ergo non impijssimus ille, qui lotis manibus : Innoxius ego sum, inquit, a sanguine iusti huius. Ceterùm in capitulo (vt monachi iubent) capitulum non ponamus. Bonum est quod eligimus. Sed nemo non eligeret, si suæ id sit potestatis, iudicare secundùm conscientiam cõtra acta, id est, ex eo, quod ipse sentit, & scit aduersus ea, quæ alij obtrudunt. Ergo id est arbitrium bonum, & viri boni. Potest autem eligere (vt ostendimus) iudex. A primo igitur ad vltimum sentis vt argumentum procedat. Procedo ad alia. Spretis medijs repugnantibus, finis vnus est inspiciendus, si adsit, iuxta quẽ iudicemus. arg. l. emancipatum. in fi. de senato. Spretis igitur actis, quæ media ad veritatem sunt, pro veritate, quam habemus, pronunciabimus. Et iterum. Modus effectui destinatus, si contrarius accidat, non curatur, dum habeamus effectum. arg. l. caussam. §. 1. D. de manu. Igitur nec acta curabuntur, quæ modus

Matth. 27.

l. iudices. C. de iudi.

sunt

sunt ad veritatem, etsi contraria sint veritati, si ista habemus. Tertium argumentum hoc est. Iustum naturale praualet iusto legali, arg. l. 8. §. si quis emancipatum, de bo. poss. con. tab. & §. sed naturalia. Inst. de iu. nat. l. placuit. C. de iudi. Sed iustum naturale est, vt secundùm ipsius rei veritatem iudicetur, iustum legale (demus) vt secundùm acta. acta n. a lege habemus: veritatem & conscientiam a natura. Illud igitur fiet. Quartò sic disputo. Iudex dicitur quòd ius dicit. Ius est ars. Ars est finis vniformis, vt naturam quàm potest sectetur. Id verò est naturale quod est maximè simplex, & maximè verum. Et simplex, verúmque vt non est in actis; quia ratiocinationibus acta constant, & hæc nostra veritatem impugnant: ita in conscientia purum putum vtrumque reperitur; nam nostrā verissimam ponimus, & omnis conscientia simplex quiddam est, quoniam fides eius adscititia non est, nec multis argumentis conflata, sed ex se est, & est talis, vt eadem in ipsa sit caussa cùm effectu. Idque illud est, quod dicitur, rectam hanc probationem esse: Vidi, quia vidi: Audiui, quia audiui. Tu te collige rationem. Vltimum argumentum hoc esse volo. Si secundùm acta non pronunciatur, quum iudex ratione colligit, acta vera non esse; immo contra hæc sententia fertur: certè idem fiet, & multo magis, quum sensu illud percipiet. Sexsuum enim certissima fides est: & a quibus ducitur omnis cognitio.

Bar. in tra. testim. vers. Testis causam.

At illud fit. Ergo & istud fiet, vt ex eo, quod sensibus notum est nostris, iudicemus contra id, quod in actis apparet. Ostendo, autem pariter a nobis nunc sensus introduci, atque locus rationi dari. Ratio scilicet non tantùm ex actis sumitur ad hæc ipsa improbanda; vt quia coherentia nõ sint, manca sint, inepta, falsa: sed omnino etiam extra acta. Sic refutati a iudice testes sunt, qui con-
Plut. in Alcib. testabantur, vidisse se Alcibiadem tali nocte tale patrantem crimen, quoniam obscura nocte videre impossibile sit. Obscuram verò noctem index inde notauit, quòd per astronomiã latuisse tunc lunam sciebat. Pono tibi istum ob oculos casum, te iudicem Alcibiadis facio. Eum damnabis? Nec de temet ipso quæres, si pernox nox fuerit? Id verò vnde seruabis? Certè aut quod astronomus fueris, aut oculis tuis rem vsurpaueris. Quæ omnino extra acta sunt. Sic itaque & ex eo, quod oculis pariter vsurpaueris in quæstione nostra pro conscientia hac stabis aduersùm acta. Atque probè in argumento hoc de te iudice constituendo mentionem inieci. Te causæ iudicem esse volo. Tecum Cains fuit, quum alibi gentium Sempronius occideretur. in actis plenè probatur, Caium fuisse homicidam. Tu Caium damnabis? Si tu autem ab-
Gell. lib. 7. c. 3. solues: absoluent & alij: nam ita loquitur Cato: Nemo (opinor) æquum censebit, quemquam pœnas dare, quòd arguatur malè facere voluisse: nam ego nolim. Dices: Ecquid, si vidissem ego Caium eadem facientem: & in actis de eius innocentia plenissimè

pleniſſimè probaretur? Caium damnabo? Deſi- Amm.lib.21.
nite (dixit Conſtantius Imperator) vrgere homi-
nẽ, vt exiſtimo ſontẽ; ſed nõdũ apertè conuictũ. An
tu idẽ? Certũ reũ abſolues, quòd de ipſius innocen-
tia expoſitum tibi fuerit profuſiſſimè? Exiſtima-
bat, non ſciebat Conſtantius. At ſcis tu. Tu igitur
Caium damnabis. Atque id probant ſupradictæ
omnes rationes. Memineris autem, & ita teneas,
non diſputatum a nobis niſi ad id, quod ipſa quæ-
ſtio a iure habet. Nos non conſideramus illa facti: Quid ſi improbus, infenſus reo iudex ſit? Quo-
modo tutus erit iudex finito officio, ſi aliter, quàm
ex productis, ſententias dixerit? Et huiuſmodi
plura. Sunt & his ſua remedia. Habet & illa hîc
communis interpretum definitio certam, inſupe-
rabilémque difficultatem. Aiunt, iudicis perſonam
deponendam, teſtis ſuſcipiendam. Quid. n. vnus
teſtis aduerſus vniuerſa acta pleniſſima poteſt? Is
proculdubio alteri iudici necandum tradit innoxium, dum non abſoluit ipſe, qui innoxium nouit.

Ego mea tantùm recito; & quæ paraueram omnia: vt vnam potiùs daremus partem diſputationis perfectam, quàm neutram. Id, quod fieret, ſi hinc atque inde dicta, & tumultuata vellem cõgerere. Sunt. n. iſtæ pompæ magis, quàm diſputationes.

Q. II.

MArtinus, Bulgaruſque quæſtionem hanc, ſi *ſupra legem Rex eſſet, olim coram Barba-* Th.vi.hu.
ruſſa, vel (vt loquuntur) Ænobarbo Im-

peratore disputauerunt, cumque ille negaret, alter adsereret: Martino Imperator tamquam Iurisconsulto vnius condendæ legis potestatem dedit; Bulgaro vt adulatori rubrum pileum, equum candidum. Sed ego tantum non promerebor. Et tamē supra legem principem esse probabo, &, quod tu nunc negas, eundem posse alienæ rei dominium sine caussa tollere. Mittam verò exempla eorum, qui fecerint. Illud tamen non silebo, quod qui vsi hac potestate non sunt, vel vti, cum possent, noluerunt, sibi tamen illam competere iudicarunt, asseruerunt. Id enim argumentum est maximum, quod competierit ea potestas. nam refutari nequit quasi res vsurpata vi, cum vsurpatum nihil sit. Polliceor (inquijt Iulianus) absque omni prærogatiua principum, qui quod dixerint, vel cēsuerint, pro potestate auctoritatis iustum esse existimant. &c. Si imperij lege (ait alter) vtendū fuisset, prorsus mihi velle suffecisset. Vides quomodo procedat. l. digna vox. Quid? Nihil (vt scribit lib. 1. Eutropius) similius dici potest quàm Dictatura antiqua huic imperij potestati. Dictatura potentior quàm dominatio legitima, & regia potestate maior. Dictatoris summum, & liberum imperium. Quid est liberum imperium, libera dominatio? Declarat illud Cæsaris: Sylla litteras nesciit, qui Dictaturam deposuit, mecum homines consideratiùs loqui debent, ac pro legibus habere quæ dico. *Suetonius in Cæsare scribit c. 77. Accipe tertiam rationem. Dari personas*

Amm. lib. 23.

Heliod. lib. 1. Aetiop.

Diony. lib. 5.
Polyb. lib. 3.

sonas posse sub alterius dominatum, profectò maius quiddam est, quàm potestas res dandi. Itaque si illud licet, magis licebit & istud. Illud verò quis nescit licere? Attalus Asiam, Nicomedes Bithyniam, Appio Lybiam, Polemo Pontum, Coctius alpes testamento Romano populo reliquit; alijque alijs alia. Vt proditum a Liuio est, Suetonio, Tacito, Ammiano, Eutropio, Sex. Rufo, alijs. Confirmo rationem ex eo, quod dicitur de pœnis. Si leuissima corporalis pœna longè est maior quantalibet pecuniaria: certè & maius est, mutari de personæ dominio aliquid, quàm si multum omnino tollatur de dominio rerum. Audi quartam rationem. Subditi vsum, possessionémue habent solum, at principes sunt rerum domini. Itaque etsi auferant aliquid, suum auferunt. Propositio est l. deprecatio. D. de le. Rho. Ego quidem mundi dominus, &c. ait Imperator. Non intelligit de orbe vniuerso, nam ridiculi sunt ista in re nostrates. Sed de orbe suo. orbe Romano loquitur. Quæ nostra opinio stat ex l. vlt. C. de testa. l. vni. in prin. C. de cad. toll. l. pe. C. de fi. instr. l. 1. C. de eunuc. l. 17. D. de sta. hom. & alijs. Et ita etiam Theodosij viri prudentissimi responsum accipere malim: Comes Valentiniani sum (*dixit*) orbis terrarum domini. vt per Ammianum lib. 29. quàm vt hominem sapientissimum ineptè vel principi sua ista adrogasse credamus. Constantius

L. 58. 59. 93. S. in Ne. T. 14. A. 22. E. 4. 6.

l. 2. C de eun. l. 8. C. de vecti. l. 2. C de inc. nu. l. vlt. C. de inf. exp.

Amm. lib. 15.

eò confidentiæ processerat, vt orbis totius dominum se appellaret. Princeps igitur dominus est sui orbis: rerum vsus est subditorum. id, quod Masanissæ testimonio confirmatur, qui regni sui suum esse vsum, dominium penes Romanos residere, ingenuè, & palam contestatur Liuij lib. 45. quemadmodum scilicet theatrum, cum commune sit, aut principis, rectè tamen dici ad vsum potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit. Ac vide, si alia rectè huc quadrant. Idē ferè ius principibus in subditos est, quod dominorum in seruis. Bal. Saly. W. Inst. de his, qui sui &c.

Serui autem quid in peculijs suis habent præter administrationem? Sic ergo nec subditi in rebus suis (dicimus suis vel quòd ita ferat princeps, vel ipsorum inuicem respectu) habebunt quidquam vltra vsum, atque possessionem respectu principũ? Eum verò vsum, & possessionem an non potest pro libitu dominus auferre? Sed veniamus ad argumenta. Maior est potestas principis in subditos, quàm patris in filios. l. vlt. C. de consul. Sed in bona filij potest omnia pater. l. placet. 79. D. de adqu. hered. l. adquiritur. 10. D. de adq. re. dom. Ergo & in bonis subditorum potest princeps. Attende, quod si potest in personam filij f. princeps plusquam pater: proculdubio & in rebus plus poterit. Item attende, quòd non est commissum a patre, vt sibi filius a principe subtrahatur: sed pro commodo subtrahitur principis. Sic & quia vtile principi sit, volo ei licere auferre res alienas. Nam si tatus quæstionis (opinor) earssam hanc non ha-

bet

bet pro cauſſa: quia ſi vtilitas principis eſt cauſſa, profectò nihil ſine cauſſa faciet princeps: quare proponi quæſtio non valuit. Quam hîc intelligis cauſſam? Elegans hæc ne tibi videtur, quam narrat Imperator in d.l.vlt? Mihi non videtur, qua iura naturalia, ciuiliáque, quæ patriæ poteſtatis ſunt, tollerentur. Conſul certè, regia poteſtas, eſſe potuit, cui pater erat. Quod ad ius publicum attinet, non ſequitur ius poteſtatis l.14. D. ad Treb. Dicam ex Valerio? Dicam ex Plutarco, alijs? Nota hæc ſunt. Igitur ad alterum argumentum. Si pars poteſt aliquid facere, totum poteſt magis. pars verò quiſque eſt populi, populus eſt totum. cuius in omnibus & per omnia vicem princeps tenet. At quiſque poteſt dominium rei ſuæ ab ſe tollere. Ergo & totum poteſt. Ergo populus. Ergo princeps. Et princeps magis: quia eius ius maius, quàm populi l.3. D. de off. præt. Sentin, quod dico? Ecce tibi populus ſtatuit, vt ab vnoquoque aliquid detur. Non eſt cauſſa cur detur: ſed ſic populus vniuerſus decernit. An nequit id fieri? At ſi ſinguli poſſunt de ea parte diſponere, quam hîc conferunt: quid vniuerſi non valerent? Do etiam aliquem repugnare, neque hoc quidquam eſt. tu tritam regulam tenes eius, quod fit per maiorem partem. Et dixit ille, iuſtum omnino eſſe parere iudicatis a pluribus. Et Cicero iniuſtitiæ Catonem inſimulabat, etſi hic iuſtitiam foueret, quòd vnus repugnaret ſtatuto totius populi. Sic itaque. Quod vniuerſi poſſunt: id poteſt & princeps. Sed

Dionys. lib. 11. & Plut. in Catone.

uniuersi possunt res singulorum sine caussa tollere. Ergo & princeps potest. Dices tu, quod nec uniuersi possunt unius alicuius sine caussa rem tollere. Et argumentum nostrum huc non pertingere: sed eo usque tantùm, ut singulorum omnium possint. Bellè. An igitur & princeps potest omnibus aliquid auferre; non tamen uni? Tu videris quid istud sit. At probo etiam, quod uni potest rem tollere. nam si tenet omnium personam princeps, certè tenet & istius unius. itaque dum tollit huic princeps, perinde est ac si sibi tolleret ipse. Propono iam & aliud argumentum. Lex & princeps aequiparantur. l. nam & ipsum. D. de in. & iu. Sed lex stat sine ratione. l. nō omnium. de legi. & plures volunt magni interpretes. ut per Cott. in Memor. in verſ. Ratio dicitur. quibus adiungo Baldum rursus in l. uni. in prin. C. de cad. toll. Bello. lib. 3. ſur. ff. 6. 3. Ergo & factum principis stabit. Hîc velim, ne te adeo diuinteres, ut nō nisi meis armis indutum, quæ scilicet ex capite secundo libri secundi nostrarum Lectionum desumeres, contra non posse stare, ostenderes. Et adprobo istam rationem ex eo, quod ubi supra agentem nihil est, ibi facti ratio sola est illius voluntas. Sed supra principem nihil est. Meritò igitur ratio facti principalis non quæritur. Hîc finis. Si verò tibi immoderata videtur ista potestas, quam ego principi defero: scito sic populum voluisse, qui in principem ase & supra se omne imperium transtulit, & potestatem. Qui omne

Cic. lib. 3. de legi.

l. Sacrilegij. C. de cri. sacr.

Inst. de iu. na. & l. 2. §. 8. D. de orig. iu.

dicit.

omne dicit, num quidquam excludit? Poterit ergo (inquies) & trucidare princeps passim quos volet. Non poterit, inquam ego: quia omnem suam potestatem transtulit populus: & hoc non est populi, aut cuiusquã potestatis, nã dominus membrorum suorum nemo. At illud (subdes) poterit, ciues vendere, & seruos facere, nam vendere se quisque potest. Respondeo, quod ista venditio nõ fit sine causa: vt doctores docent. Et cum caussa posse etiã illud facere Principem: potest, n. obsides dare, & hi quantũ differunt a captiuis? Dixi, quod alienare subditos etiã valet, etiã sine caussa: & id esse tradere ferè in seruitutem. Dico illam potestatẽ vendendi ciues datam principi non esse: quoniam dedit populus: hoc est, ciuitas Romana: dederunt ciuitates in se istam principi potestatem. Sed hæc non esset in se: id est, in ciuitatẽ: quoniã seruorũ ciuitas non est. Seruorũ ciuitas, prouerbiũ de re impossibili dictum. Omnis data potestas, sed in ciuitatẽ, sed ea, quæ ciuitate manente competat. Instabis, quod per vnius venditionẽ nõ perit ciuitas: At si vel vnum vendere liceret, non esset caussa, cur aliorum denegaretur, & omnium. Aliàs indicaui hanc rationem. At etiam ea potestas in ciuitatem est, & in ciues, venditio autem in ciuem non esset, sicut nec in ciuitatem. Ista sunt rationes meæ pro principibus Romanis, ijque omnibus, qui iure imperãt Romano. Eo iure plenissima potestas data regibus est, itaq; absolutè hi dominabũtur, & pro volũtate, vt inquit, & in iusto rege, Aristoteles.

lib. 3. Lect. c. 1.

l. diuus. & seq. D. de iu. fis.

lib. 3. Pol

Princeps

Princeps legibus ſolutus eſt. Ridiculus ille eſt, qui
Cuia. lib. 15. c. 30. *ex inſcriptione d. l. princeps. accipit præſens enunciatum de legibus caducarijs. Et nos futile iſtud commentum refutauimus lib. 1. Lect. c. 13. Dicere igitur ſupereſt, non oportuiſſe hanc poteſtatem deferre, ſi noluimus ferre. Omnium legum iniquiſſimam, diſſimillimámque legis hanc eſſe, qua tantum largibamur imperium, vociferandum ante factum fuit, Cicero. inculcandum in tempore, Publi, erat tuum illud*: Cui plus licet, quàm par
In Rull. Gell. lib. 17. c. 14. *eſt, plus vult, quàm licet. Et illud olim tenendum, quod nimia licentia (vt ſcribit in Aureliano Vopiſcus) principes improbos facit. Nunc ſerò cum Phrygibus ſapimus. Ferendus dominatus eſt, quem dedimus: ſit etiam moleſtus dominus, & quod poſſit, id etiam velit. Nam nos fecimus*
Vopis. eo. *ipſi longè miſerrimos: qui vel a mimico ſcurra dicere valebamus, in vno annulo bonos omnes principes poſſe perſcribi, atque depingi. Atque vt finem longiori huic faciam diſputationi, vnum tantum exponam. Hoc requiri abs te credo, cur iſtam non exerceant poteſtatem principes, ſi habent. Dico, quod qui habent, non abſtinent. Item quod arcanis adhibitis exercent, vt exerceant tutiùs: nos itáque quod non videmus, negare non decet, aut credere, quod non fiat. vident. n. prudentes. Rurſus faciunt id multi, quia ſapientibus auſcultent*
Amm. lib. 29. *dicentibus, boni moderatoris eſſe, reſtringere poteſtatem. Scripſimus aliàs, ex honeſtate iſtud non eſſe. Multa poſſunt (de poteſtate eſt noſtra queſtio)*

stio) fieri, quæ aliquo honestatis, decoriue respectu non fiunt. Narrem quod de sepulchro Valeriorum ad rem scribit Plutarcus? Quod de Dionio quodam habet Maximus? Similia? Sic Bal. in l. & in legatis. C. ad leg. Falc. tradit, ex honestate non debere principem Falcidiam capere, at posse tamen. Et in §. vlt. C. de ea. to. Imperator, Nec Augustum Priuilegium exercemus &c. Ab ea potestate principes honestatis hoc freno cohibentur. Cohibentur illo, quod infelices videri sibi possent (vt voluit Cicero) si potestatem tantam vsurparent. Reformidant animi laniatus, ictúsque, quibus dilacerantur, qui eam licentiam exercent. Itaque Deus prospexerit nobis, qui in perniciem nostram decurrîmus. Num satisfactum omnibus est? Quid ergo? Ait Tassus, non ex castis hæc esse fontibus Philosophiæ, sed ex iurisconsultorum riuulis impuris. Ridiculum est (inquit Alciatus) adfirmare Pontificibus absolutam in subditos potestatem competere, quæ nec ipsi Imperatori in Italos competit, vnde illi caussam habent. allucinantibus theologis, adulantibus iurisconsultis, dicentibusque omnia principibus licere, summamque eorum, & liberam esse potestatem. Hîc te dicere permitto. iuui te auctoritate tantorum virorum. Vide tamen, ne ab iurisconsultis transfugias, auctore Tasso, ad Philosophos. vide vt contra nostrorum consensum, & theologorum propter vnum Alciatum aliud opineris, Cedò, meis respondeo rationibus.

In fi. vi. Pub: lib. 2. c. 9.

Amm. lib. 26.

Tacit. lib. 6.

In l. censere. D. de ver. sig.

Si eodem testamento ab eodem herede eadem summa bis fuerit legata.

Q. III.

TV mihi in tuis istis adsertionibus videris plusquam mirabilis. In prima pugnasti contra mentem tuam: in secunda contra immensam principis potestatem consistere ausus es: in ista etiam contra naturam paras bellũ. quî .n. vnam summã deberi existimabis, si non priùs hoc apud te decreuisses, plures vnũ esse? Ille igitur indexiã excusabitur, qui (vt est in l. 1. D. quæ sent. sine app. res.) quinquaginta & viginti quinq; fieri centum putauit. Nec iam erit absurdum, vt quis respondeat duo & duo esse viginti: quod absurdissimum putauit Diogenes: atque in huius vita Laertius refert. Tua enim ista hæc adsertio, vt centum et centum dicas centum tantùm esse, longè est absurdissima. Fuit quidem studiosus, qui patri in Academiam venienti voluit persuadere, oua tria fieri quinque posse. An e diuerso tu in ista corona profiteberis, centum, puta, coronatos esse, non plures, qui dati iterum sunt? At ille pater oua tria apposita comedit, reliqua filio reliquit. Quid itaque si summam vnam ego acciperem interim, dum tu eandem cum altera istam esse ostenderes? Audio, ab eodem illo patre ianuas tres (totidem, nec plures erant

Alc. lib. 5. Paterg. c. 7.

rant in cubiculo) occlusas, iussumque, interim vapulantem, ex alijs duabus exire filium, qui idem in ianuis artificium, quod in quis tenere poterat. Age, ego te, aut interpretes potiùs, quorum ista est definitio, argumentis diuerberabo. Sic igitur. Si in diuersis eadem summa ab eodem legata bis est; bis debetur. vt omnes volunt. Ergo & si in eadem scriptura. Scrupulosa enim est distinctio. l. Nesennius. 33. & seq. de exc. tut. l. 16. de vulg. Secundò. Si dixisset, centum & centum lego: proculdubio ducenta deberentur. Ergo & cum ita dixit: centum, centum lego. arg. l. triplici. D. de ver. sig. Quò nunc? Non solùm, inquies, opinor, datum voluimus eadem scriptura, sed vt sit etiam locis distinctis datum. At qua ratio, vt distinctio locorum impediat summæ duplicationem? Obliuio? At maior obliuionis ratio in diuersis scripturis: in quibus tamen non impeditur duplicatio. Tertium argumentum. Non multiplicatur legatum speciei: quia non potest. l. planè. 34. §. 1. de leg. 1. Ergo multiplicatur legatũ quantitatis: quòd potest. Et ex eadem lege rursus. Tunc sæpius præstanda summa est, si euidentissimis probationibus ostendatur, testatorem multiplicasse legatũ voluisse. Sed illud ostensum est hoc ipso, quòd contrarium non ostenditur. Ergo summa sæpius præstanda est. Minorem probo tibi ex Ioannis auctoritate, qui glossarius ista dicit. Nec insolens est expositio: nam in L. 27. §. 2. D.

de

de instr. & instr. leg. illa verba, Nisi manifestè adprobant, exponunt communiter hoc ipso modo. & in l. 32. §. 6. D. de vsufr. leg. illa, Nisi manifestissimè probetur. Sed & necessaria est hac interpretatio in d. l. planè. quoniam non esset aliàs differentia inter legatum quantitatis & speciei, vt demonstrat Iason. Itaque si articulum pro articulo quia illic accipiamus. quod frequentissimè fit in libris nostris. Aliud argumentum contra definitionem tuam, vel interpretum potiùs suggerit vulgata regula l. si quando. 112. de leg. 1. quæ sic fieri præcipit interpretationem, ne verba frustra prolata existimentur. Sextum est argumentum tale. Talis sensus, qualia verba. l. 4. D. de re. dub. l. Labeo, de sup. leg. Sed verba sunt duplicantia legatum. Ergo & sensus. Septimum est hoc. Verba non accipiuntur de eo, de quo fuit antea cautum. l. coheredi. 41. §. 4. de vulg. l. sed & si. §. 1. ex qui. ca. ma. Neque de eo, de quo postea: etiamsi illa essent generalia. l. 17. §. 15. D. de ad. ed. Igitur neque de eodem centenario altera verba casus nostri accipere decet. Octauò sic disputo. Voluntatem morientis hîc conijcimus. d. l. planè. Sed voluntatem conijcere non est contra verba facere. §. pe. in Auth. de resti. Ergo hîc istam interpretationem tuam non admittemus, quæ disertè est contra verba testamenti. Nonò sic. Si in eodem testamento primùm maior, deinminor summa legatur: vtraque debetur. vt omnes volunt. Ergo & si eadem summa mox legetur

Bar. in l. 1. D. de cond. & dom.

tur. arg. regulæ vulgaris l. vlt. D. de fun. instr. Decimò. In eadem dicitur datum dispositione, quod datum in testamento est, & in codicillis. Sed datum testamento & codicillis duplicatur l. quingenta. D. de prob. Ergo datum in eadem dispositione duplicatur. Id tu negas. Confirmanda est maior. Codicilli pars testamenti sunt. l. 14. de iu. cod. l. sicut. que. test. aper. Nec obstat verbũ. Habetur, intelligitur, Videtur: nam hæc & reliqua in his, quæ sunt iuris, veritatem significant. Patris & filij testamentum vnum. l. pater f. 28. de re. auc. iud. poss. l. 38. de vulg. etiam si pater sibi per scripturam, filio per nuncupationem fecerit testamentum: aut contra. l. 20. de vulg. Vndecima ratio ea erit. Bis legantis animus est bis dare. l. si quis. 22. de leg. 3. vbi silicet sic loquitur testator: Cui bis legauero, semel deberi volo. nec. n. eã protestationẽ fecisset, si sine ipsa non credidisset, bis deberi. itaque qui bis legat, nec protestatur, vt semel debeatur, bis deberi sẽtit. Duodecima ratio. Cũ verbis nulla est ambiguitas, nõ debet admitti voluntatis quæstio. l. 25. de leg. 3. Sed hîc nulla est ambiguitas. Cedò, quid est ambiguitas verborum? Decimaquarta. Inanem qui dicit aliquam scripturam, is probat. d. l. quingenta. Quidni igitur, & qui partem scripturæ? His quid respondetur? non sæpius legare testatorẽ, sed sæpius loqui. l. Mænius. §. eum qui. de leg. 2. At ea lex loquitur in legato speciei. patet. nam in diuersis scripturis loquitur. quod in legato quãtitatis nõ obtineret. Verùm hîc

DD. in rub. D. sol. ma.

ego finem facio: & quid tu respondeas, expecto.

Tres componuntur antinomiæ.

Antinomiæ soluendæ proponuntur doctori designato. Sed ego tamen hîc scribo, quid ipse quoq; dixissem.

VLpiani verba in l. 1. §. si stipulanti. de ver. oblig. ita perspicuè Iustiniani verbis in §. preterea. Inst. de inuti. stip. aduersantur, vt qui eorum conciliandorum gratia subaudiendam apud Iustinianum exceptionem dicunt, Nisi in minorem summam: *ij dum nimium Iustiniani existimationis studiosi sunt, sua ipsorum obluiisci videntur: neque animaduertunt, id linguæ Latinæ rationem ferre nullo modo posse. Ita Hotomanus. qui ex stricta & vera ratione Iustinianum sequitur: quoniam non vsquequaque verum sit, vt in maiori minor summa insit. quid. n. tot stipulationes non essent, ait ille, quot sunt nummi? Et nos de re ista quandoque scripsimus. diximus, propriè illud verum non esse, si disiunctim loquimur. nam nec minores summæ propriè reddunt maiorem. hinc si possit offendi bannitus a centum libris supra; non potest bannitus offendi in quinquaginta, & in sexaginta. quod volunt nostrates ad l. vbi fideiussor. D. de solut. Itẽ, fidejussor nec in minori summa obligatur, quam reus debet, si acceptus in maiorem est, vt, omnes (vno excepto Decio) tradere, dicitur. Et tamen in minori, debitaq; a reo obstringeretur fideiussor, si propriè minor*

Octaua ratio probata nouitijs componẽtibus antinomias.

summa

summa ineſſet. Inſit igitur in maiori minor: & id, quod præſtat, ſiet tantum, quantum id, quod ſuperatur, atque amplius; vt Ariſtoteles libro primo Rhetoricorum ſcribit: id tamen non eſt propriè ſummis dejunctis. Ceterùm ad exceptionem dixerim, vitij nihil admitti. Si ſcilicet ea adiungatur tamquam ex altera lege. Nec.n. nouum eſt. &c. Itaque dixerit Iuſtinianus inutilem; ego non inferam propterea, vt in totum inutilis ſit: Sed vacillantem ad debitum integrum, cum Caio interpretabor, & cum Vlpiano, in minori ſumma valere. Subtiliorem illam explicationem in Inſtitutionibus ponere, opus non fuit. hæ enim pueris loquuntur. vt in ſimili antinomia Placentinus, Ioanneſque ſcripſerunt. Rudes certè compellat Iuſtinianus, infirmoſque: & Elementa hos libros appellat: & eorum omnia ſubtiliter, latéque in libris Digeſtorum explicata conteſtatur. Sunt & Philoſophorum iſta. Ita hanc primam ſolluerem antinomiam. Secunda longè difficillima eſt. Nam Fulgoſius inconciliabilem fatetur ingenuè vir omnium acutiſſimus. Adi Coraſium, qui c. 22. lib. 6. Miſc. & ridiculas oſtendit gloſſatorum ſolutiones: & ipſe nihilo ponit meliores. Mihi ita dici poſſe videtur. Pupillus mutuam accipiendo, ne naturaliter quidem reddere obligatur. Sic ſtet l. 59. de oblig. At, ſi ipſe iſtam pecuniam ſoluat, non repetit. Sic procedat lib. 64. ad Treb. Ratio differentiæ & eſt perſpicua, & patet vel ex l. 44. de cond.

l. non eſt nouum. D. de legi. lib. 2. c. 9.

In prin. & in §. cum ex aliena. Inſt. de re. di.

cond.ind. Alia soluta, promissáque repetet. l.41. eo. Nec.n.retinetur quidquã iustiùs, quàm reddita sibi pecunia sua. Et sanè hanc ipse regulam in præsenti quæstione adsererem, ne pupillus obligatus censeatur, ne naturaliter quidem. per §. pupillus. Inst.de inut.stip. & alias eius generis leges propè innumeras. Et hæc regula non procedet in pecunia mutuò sumpta, solutaque.d.l.64. Item nec in nouatione.l.1. de nouat. quia si pro se nouat, potest videri in leuiorem caussam ducere obligationem suam. Et quid si diceremus in presenti tantùm specie d.l.1.procedere? In dubio alia persona nõ subintelligitur. Quid si & hoc speciale in nouatione credimus ob binam promissionem? Simile dicitur de constituta pecunia, vt actio ex ea sit. Rursus vitium regula patitur quatenus ad obligationem alienam sustinendam contractus cum pupillo initus non est nihili. obligatur.n. fideiussor pro pupillo.l. 2.de fidei.l.127.de verb.oblig. Ex quo datur intelligi, obligationem quidem esse ex pupilli contractu, sed ad pupillum quod attinet, infirmam prorsus.quî.n.fideiussor obligari posset, si nulla esset obligatio, cui accideret? Atque hæc satis vel ad reliqua, quæ huc possent adferri. Venio ad tertiam antinomiam. Ea proposita est prudentissimè: video.n. in quæstione de corona murali ex his legibus multa dicenda. Vlpiani vtraque est, minus ergo dicendum est, sibi ipsum contradicere. Ego Socini solutionem probo, quæ est: vt in l.3.§.5.de adim. leg. separatim legatum sit duobus Titijs. id

l.126.§. Chrysogonus de ve.ob.

enim

enim & ipsa lex dicit, atque cum vni adimitur, quia, is qui sit, non dignoscitur, maneat vtriq; legatum. At in l. si fuerit. de re. dub. coniunctim vno nomine duobus legatum videtur: Sed (inquit) & si duobus hominibus eiusdem nominis fuerit legatum, puta Sempronijs, &c. Quo facto duo sunt verbo vno concluſi, & vnus quasi facti: vnde si adimitur Sempronio, rectè videtur vtrique ademtum: quia sic ademptum erit, vt est datum. cum his, quæ latiùs docet Socinus. Excellẽtissimus Donellus credit, neque hîc ademptum legatum esse: & legit ademptione, non ademptionem, interpretaturque, valere ademptione legatum, quasi inualida ademptione legatum firmetur magis. Dixerit aliquis, & sine litteræ mutatione idem: quia ademptionem pro ademptione dici potuit, vt huius generis multa notant grammatici. Lamb. ad li. 4. Lucr. Cæterùm in ipsa ego interpretatione hæsito. Et quòd dura videtur: & quòd non apta illi verborum contextui. Ademptionem autem (ait Vlpianus) in vtrunque valere. Legamus nos ademptione, vel ademptionem pro ademptione interpretemur. duram adfingimus Iurisconsulto dicendi rationem: Ademptione autem in vtrumque valere. Hoc est, In vtrumque confirmatur legatum ademptione. Nescio, si quisquam sic loquitur. Sed orationis contextus omnino (nisi fallor) respuit istam sententiam. nam articulus autem aduersantis naturæ est. itaque si legata, & libertates impediuntur, quando relictum Sempronio

pronio est, & plures sunt Sempronij; haec data Sticho est, & Stichi plures sunt : omnino valebit ademptio; & hoc dicere voluit Vlpianus, qui aduersam determinationem in ademptione facit, atque fecit in legatis, & libertatibus datis. Ratio porrò differentiæ inter dationem & ademptionem esse potest, quòd longè facilius inducitur ademptio, quàm datio. arg. l. 3. §. vlt. l. nihil. 16. l. etsi. 20. de adim. leg. Cogitate. Nam ego iudicio Donelli plus, quàm meis defero rationibus.

Hactenus actum die Saturni. Nunc, quæ fecimus die Lunæ, refero. quanquam & hîc orationem omitto, qua tum gratias Academiæ egi, quòd mihi præ cæteris omnibus, qui illîc fuerint vnquam, se præbuerit gratissimam, tum insignia Doctoratus contuli in eum, qui designatus erat, Sequentes porrò quæstiones contra aduersarium excitatum Doctori creato disputabamus, Doctori quasi auxilia ferentes.

De præmio coronæ muralis. Q. IV.

SI vnà plures mœnia scandant negas omnibus suam coronam præstandam? Nulli dandam affirmas? Virtutum itaque præmia merentibus non attribues? Pericula non censes remuneranda? Orodes certè Parthorum rex (vt est apud Appianum) facinus huiusmodi magna Seleuciæ dono remunerauit. Vide, quantum interre & præstantissimos viros intersit. Etiam victis, &

l. vlt. C. de statu. l. 5. p. 3 D. de iu. imm.

& in ludicris, præmia largiuntur. Non tu legis Æneidos quinto? Non tu apud Alciatum libro sexto Parergon, capite vigesimo secundo, & apud Scaligerum libro tertio poetices, capite duodecimo didicisti, Virgilij ea in re iudiciũ fuisse optimum? Tu modò, quoniam vnus non est, qui intrarit primus, neutri præmium persoluis. Noua astutia. Et Brasidas ille Lacædemonius Lecythum oppugnaturus denunciauit, daturum se argenti minas triginta ei, qui primus murum conscendisset, at Palladi hæc donasse dicitur, ratus non humanitus, sed diuinitus eam expugnationem extitisse. Quæ istæ artes? Sed tu anaritiæ quod velum obduces? Spartanus religionẽ. Pergo. Præmia alij tribuenda existimarunt & primo, & secundo, & tertio muros scandenti. Tu duobus primis non tribuis. Quid? Iulianus imperator pluribus hæc dedisse dicitur. De Papyrio scribit libro decimo Liuius, quod cẽturiones, militesq; donauit, qui primi portam, murumq; cæperant Aquiloniæ: & in eius triumpho vallares, muralesq; coronas multas cõspectas. Dispiciamus de exemplo Africani. Et ad illud narro priùs, quòd Appianus simile cũ Liuio, & Plutarco nihil habet; sed ita loquitur: Eũ, qui primus omniũ fortiter in murũ ascenderat, donis amplissimis affecit: secundo verò dimidium eius, quod primo donauerat, dedit, tertio similiter, atq; alijs eadem ratione. Sed huic Ægyptio aurem non damus. Auscultemus maioribus histericis. Scribũt, coorta dissensione de eo, qui primus mœnia conscenderit

Thuc. lib. 4.

Liu. lib. 2. Eges. lib. 5.

Amm. lib. 24.

De bell. Hisp.

Liu. lib. 26.

noua Cartaginis, ne quid seditionis preterea suboriretur, Scipionem pronunciasse, compertum sibi, quod vterque pariter conscendissent; itaque & vtrique se præmium dare. Quid hoc iudicium? Ad seditionem comprimendam in facto a Scipione pronunciatur: sed in iure, quod quærimus, nihil gratiosè definitum. Atque addo Polybium, qui in fragmentis decimi libri coronarum numero multitudinis meminit a Scipione promissarum ijs, qui mœnia primi intrassent. Sed & ex iure propiùs argumenta moueo. Contrariorum scis eandem esse disciplinam. Iam si in pœnis hæc definitio teneretur, vt omnes puniantur, qui primi quid fecissent, lege primo facienti pœnam irrogante: quid non idem in præmijs? Sed in pœna & lex, & aperta ratio illud docet. num .n. sontes hoc prætextu dimittes, quod lex de primo delinquente scripta est? Scilicet vsitatum non est, numerum vnitatis ad pluratiuum duci: vt & contra. Adi. l. 3. §. 1. D. de ho. lib. exh. l. 1. de adf. lib. l. 16. de testa. tut. l. 3. de neg. ges. cum vulgaribus. At si delinquentes non dimittis impunitos; quî benemeritos sines irremuneratos abire? Accipe aliud. Primo præmium dandum. Primus est, quem nemo præcedit. l. 2. §. 3. de su. & leg. vbi vocabula hæc proximus, primusque confunduntur. Sed & ille, & hic talis est. Ergo & huic, & illi dandum. Fuit Alciati ratio, qui hanc tenet, quam nos proponimus tibi, sententiam: & illud Scipionis exemplum, quod nos retinuimus contra doctissimi Donelli interpretationem.

l. ita vulneratus. D. leg. Aquil.

nem. Ait verò Alciatus, nec Doctores omnino sententiæ isti reclamare. Et profectò bona videtur ratio: illo retento, quod numerus vnitatis aptetur & numero plurium. Age, rursus ad id ipsum. Si nomen vltimi aptatur vltimus: quid non nomen primi aptabitur primis? Sed illud aptatur. l. qui duos. D. de re. dub. Adde d. l. 2. vbi I. C. ita: Legitima hereditas tantùm primo defertur, non tamen refert, duo, pluresue ab eodem gradu veniant, qui ceteros antecedant. & omnibus defertur hereditas. *Pariter nec referat, quod duo, pluresue puncto tempore ciuitatem intrauerint: sed omnibus præmium dabitur, vel si tantùm primo istud delatum sit. Queso, in primogenitis quæstionem fingamus. Primogenito regnum lege defertur. Scimus quidem vno enixu nasci plures non posse. Sed quid si incertum est (Id contingere potest) qui prius editus est? Quid si etiam vtero matris exsecto pariter in lucem exilierint? Dic mihi, si neutri regnũ dabis. Ceterùm quoniam ad me propiè quæstio non spectat, sed ad meũ hunc Doctorem, hæc satis erunt pro eo, quod ipse dicere debuissem. Quæstionẽ in præmio multiplicabili, & in certamine non iterabili tractatis. Hos tenete terminos. In legibus testamentarijs (meo iudicio) certam adsertionem non facite: puta in l. si fuerit. D. de re. dub. Vni. n. vult dari testator. vnus autem vt in pluribus accipiatur, refragatur intentio. At nos in specie nostra ostendimus, dari ducem coronas voluisse pluribus. Ostendimus*

l. 15. D. de statho.

l. x. de re. dub.

l. cum vnus. D. de alim. leg.

dimus ab eo, quòd debetur; abque eo, quod fieri solet. Tua disputatio, quæ argumentis clarissimi Donelli constabat, eodem argumentandi genere refellitur, quo tu vtebaris. Dixisti, neutri dandum; quia vni dari non potest. in quo conuenimus. Sed nec vtrique; quòd plura præmia dare, est contra mentem & verba legis, in quo tibi repugnauimus. nam & verba pati, & mentem admittere, & ius postulare interpretationem probauimus, qua quisque præmium habeat. Finem ego facio, si doceam priùs, acerrimum illum Chrisippum & communem vtrique præmium credidisse videri, & ex arbitri voluntate dandum vni. Malè.

Plut. Sto. rep.

Si in re vendita lateat pecunia venditori incognita, ei non perit.

Q. V.

Heracl. de polit.

POrtitor quidam a vectoribus picem emit. in qua aurum latebat. Emptori non cedet aurum. Ergo definitionem hanc tuam probo. Domus venditur, cuius in parietibus recondita vis ingens pecuniæ. Hæc eius manet, cuius fuit. Ergo & quæstionẽ nõ habet casus, qui ex facto tractatur tamen ab interpretibus de recondita pecunia in cera vendita massa. Et propterea neque is, quem accidisse in hac prouincia dicitis, de scrinio vendito multas pecunias celante dubium habet. Etiam cognita rei venditio, quæ lesionem habet

Alc. lib. 7. Parec. 1. l. 67. de re. vind.

l. 2. C. de resc. vend.

bet enormem, venditorem non obligat. Sed hîc idem dicimus etsi ea læsio non intercedit. Error enim & ignorantia, immo etiam dubitatio consensum impedit: etiam si sit tantùm ex parte altera. Vt doctores volunt. Hæc est veritas. contra quam ne hiscere quidem audeo. Audebit recentissimus iste athleta, fortissimusque. Chass.ca.gl. mu.par.vl.consid.36.

Filius an accusare patrem teneatur, qui eum occidit, a quo filius heres institutus est.

Q. VI.

PIlei antiquissimi interpretis quæstio hæc est. quam Albericus etiam attigit, & Iason. Atque definitio omnium fuit, quòd licet alius heres, antequam adeat hereditatem testatoris, teneatur occisorem accusare, & condemnatum facere: in isto tamen, cuius pater testatorem occidit, diuersum esse constituendum: quia filio oporteat parcere propter reuerentiam, quam patri debet. Hos autem Doctores sequitur & Cotta in Memoralibus, in vers. Filius patrem. Et nos etiam sequimur. Addimusque egregiam Socratis disceptationem cum Euthyphrone, qui patrem homicidam sibi accusandum planè statuerat; quòd id pium, sanctumque statuerat. Socrates autem & contrarium docet, & iuuenem a proposito deterret. Quæ in Euthyphrone habet Plato, atque in Socratis vita commemorauit Laertius.

Adde

Adde illa Epicteti: Pater est? cura eius agē-da. At pater malus est? Nunquid igitur natura cum bono patre coniunctus es? Non, sed cum patre. Tu igitur munus tuum erga ipsum tuere: nec quid ille agat considera: sed quibus rebus agendis, tuum institutū naturæ futurum sit consentaneum. *Si igitur impia & scelerata accusatio est: quî ad eam vrgeat ius ciuile? Miseriarum ac sauitiæ exemplum atrox Tacitus aliquando dicit, quòd filius accusator patris fuisset. Scelere vecordem illum redditum, & vulgi rumore territum, robur, & saxum, aut parricidarum pœnas minitantium, habuisse aduersam accusationem. Et accusabatur tamen pater criminis omnium grauissimi, structarum insidiarum in principem, patrem patriæ, & qui patriæ personam gerit. Itaque animos nostros ab hoc facinore refugere, (notauit ex aduerso Diocletianus alicubi) & ipsi cognoscimus, ad extremum periculum maximi mali. Sic scilicet & M. Tullius:* Quid si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium, indicetne id magistratibus filius? nefas id quidem est: quin etiam defendat patrem, si arguatur. Non igitur patria præstat omnibus officiis? Immo verò: sed ipsi patriæ conducit, pios habere ciues in parentes. Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater: Silebitne filius? Immo verò obsecrabit patrem, ne id faciat: si nihil proficiet, accusabit,

lib. 4. ann.

l. 14 C. qui acc. poss.

lib. 3. de off.

bit, minitabitur etiam: ad extremum, si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. *Ecce quousque iubeat Cicero filij pietatem procedere. Et nos in vindictam vnius ciuis filium contra patrem constituemus? Si facimus, quî Ammiani quæreli respondemus? Multa in iurisconsultos sui temporis dicit, & id etiam, quod, si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas illi suffragantes absolutionem lectiones recondit as pollicebantur, si te nummatum sensissent. Profectò quid nos diuersum? Immo peius admittimus, qui nefarij criminis auctores sumus, si istam accusationem exigimus. Ego præterea dico nec admittendum istum accusatorem, vel si ipse accusare maximè vellet. Nec.n. testis admittitur. l. parentes. C. de testi. illicitæ.n. & improbæ voces nõ minus, quàm libertorum aduersus patronos. l. libertorum. eo. l. fi. C. qui acc. poss. Nec fratrem frater potest de crimine capitali accusare. l. 13. C. de his qui acc. non poss. Nec alumnus educatorẽ. l. 17. eo. Et vox familiaris dicitur hîc funesta: atque vltore gladio refutanda. l. 20. eo. Non potest filius accusare matrem. l. falsi. 5. C. ad leg. Cor. de fals. Ceterùm in re aperta non sum diutius. Ergo si refutanda accusatio hæc est: institutum certè hereditate priuare nequimus. Quoniam sic apertè statuat l. 14. D. de. cond. inst. In proposito statu quæstionis res adhuc est certior. quoniam qui testamentum facit a vulneribus, & filiũ vulnerantis instituit, videri* lib. 30.

etiam

l. 1. in fi. et l. 2. D. ad Syll:

etiam potest iniuriam condonasse. vt minus sit filius vrgendus ad accusationem. Si legitimus (inquit Bal. in .l. hereditas .C. de his, qui. vt ind.) vulneret, non repellitur ab hereditate, ex quo non est exheredatus. jam videamus, quid in contrarium (volo hîc aliquid tentare) dici possit. Si propter ciuiles occasiones aliquando lis inter patrem et filium est, magis hîc erit propter occasionem criminalem adeo magnam. ardua .n. caussa homicidium. & ea pertinet ad heredem hunc, accusabit scilicet non tanquam filius, sed tanquam heres, arg. l. 5. §. aduocatum. D. de his, quæ vt indig. cum similibus. Sed et paterna officia cessant, vbi de re agitur publica. vt pulcrè apud Gellium, c. 2. lib. 2. Quis autem rem esse publicam neget caussam istam? Pergamus. Furti filium insimulatum Fabius interfecit. Quid Brutus? Quid Posthumius? Quid Manlius? Quid Cassius? Quid Fulvius? Hi et alij Romanorũ aut morti filios adiudicarunt aut mortis reos peregerunt. Notæ ex Dionysio, Salustio Liniq; historiæ sunt. Pernities timebatur reip? Scilicet non erat aliud remedium, quo occurreretur. Quid mater, quæ filium, maritumq; interfecit vlta mortem alterius filij? Eam Areopagus non sustinuit condemnare. Hîc neque patriæ potestatis ratio locum habet. Sed quid Orestes? matrem mariticidã interfecit. factũ eius (inquit Paterculus) a dijs comprobatum

Oros. c 13. lib. 4.

Amm. lib. 29.

lib. 1.

spatio

spatio vitæ et felicitate imperij apparuit. Quid ad iuditium Deorum respondemus? Patris nomen obtendimus? At docet Bartolus in l. si adulteriũ. §. liberto. D. de adult. hominem hunc iura agnationis perdere, et filiationis: vt possit ipsum filius etiam interficere. Ast finem faciamus argumẽto firmiori adlato. Licet hunc patrem interficere. Ergo magis licet accusare. Enuntiatũ ex Bartolo audiuimus. Adiũgo Collegiũ Perusinũ, quod et hostẽ hunc censuit. referente Saly. in tit. C. de his, qui pa. vel si occ. Sic vtrsum igitur. Hostẽ licet interficere. immo inuitamur ad hoc præmijs. l. minimè. D. de relig. Hic autẽ homicida est hostis. Addo hanc rationẽ: quoniã eo modo se habet ciuitas ad ciues, quo modo pater ad filios. et sanè eã ob causam existimo patriã nuncupatã. At verò dubium non est, quin sit patri hostis, qui illius filiũ interfecit. Itaq; et patriæ hostis erit, qui eius ciuem interficit. Horatius cur perduellionis reus Liuio libro primo, si ciuẽ qui occidit, is et hostis patriæ non est? Socrati tandem et auctoritatẽ, et rationẽ Socratis oppono. Is docet in Gorgia, malum esse, pœnas admissi delicti non dare. docet inquam. ne tu sententiam ridiculam putes vnà cum Polo: tu .n. et tibi videberis cum adolescente illo ridiculus. igitur est accusandus pater: quia bonum id patri est, non malum. Atq; de patre etiam accusando, immo et de se ipso pœnis vltrò subijciendo concludit Socrates.

l. 1. p. 4. D. de de iniur.

Socrates. Accipe quod a morbis corporis ducit. Sicut a morbis remedia liberant, ita a vitijs castigationes. Et sicut filium decet maximè tradere patrem agrotũ manibus medicorum, ita eundem decebit, patrem delinquentem tradere accusatione iudicio. Diceret Socrates, oculos etiam claudendos, ne retrahat nos ab hoc proposito quadam inepta teneritudo: nam & ad dolorem fallendum claudere eum oculos dicit, qui se secandum, vrendum medico tradit. Concluderet, & concludit Socrates, id verum, etsi ad mortem.

ALBERICI GENTILIS

DE

Nascendi tempore

DISPVTATIO.

VVITEBERGAE
In officina Cratoniana
CIↃ IↃ LXXXVI.